

## 1322-1322- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Viennam Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis apud Viennam celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · XXII°.

### **Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: Si vero medio tempore etc., deleatur totum usque ibi inclusive: loco ipsius diffinitior habeatur, et dicatur sic: Si vero dictum diffinitorem ad capitulum non venire aut presentem impediri contigerit, socius eius, si tunc presens fuerit, ipso iure loco ipsius diffinitior habeatur, nisi tunc superveniat diffinitior, qui non obstante diffinizione incepta per socium ipse diffiniat illa vice et socius illi cedat.

Item hanc: Cum ordo noster debeat se sancte Romane ecclesie, in quantum possibile est, in divino officio conformare et in eo precipue, quod per ordinem nostrum de mandato apostolico est confectum, volumus, quod officium de corpore Christi, per venerabilem doctorem fratrem Thomam de Aquino editum, ut asseritur, per totum ordinem fiat · va · feria post festum trinitatis usque ad octavas inclusive, et dictum officium in ordinario in locis debitibus annotetur.

Item hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: qui vero semel apostataverit vel de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur: aut carceri legitime et sentencialiter mancipatus fuerit, ad vocem non possit restituiri sine licencia magistri ordinis speciali. Que restitucio per eumdem non fiat ante sex annos.

### **Iste sunt approbaciones.**

Approbamus hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: Si quis autem, quod deus avertat, in peccatum carnis lapsus fuerit, addatur: aut furtum commiserit, quod sit notabile iudicio discretorum, vel literas magistri ordinis vel priorum provincialium seu sigilla eorum falsificaverit, vel falsificatis scienter usus fuerit, aut in prelatum suum manus iniecerit temere violentas aut quemcumque letaliter seu graviter et atrociter percutserit, aut infra septa monasterii supra se arma invasiva indebite portare presumpserit, aut aliquid predictorum fieri fecerit.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: Si quis autem de mala familiaritate etc. se non correxisse deprehensus fuerit, deleatur totum, quod dicitur usque ibi: provideatur ordinis honestati, et dicatur sic: precipiatur ei in virtute sancte obedientie per prelatum coram illis, coram quibus monitus fuit, si presentes fuerint, vel coram aliis discretis de consilio eorumdem, ut a tali familiaritate desistat. Quod si tale preceptum transgressus fuerit, postquam de hoc legitime constiterit, tanquam reus et convictus de suspecto crimine habeatur.

Item hanc: In capitulo de electione prioris conventionalis et institutione subprioris, circa finem, ubi dicitur: tres fratres illius conventus, addatur: presentes et vocem in electionibus habentes.

Item et ibidem, ubi dicitur: eligant, deleatur: eligant, et dicatur: antequam comedant vel bibant, eligere teneantur, renunciacione qualibet non obstante.

Item hanc: In ordinario et rubrica de festo trinitatis, ubi dicitur: usque ad vesperas sequentis sabbati exclusive, deleatur: sabbati exclusive, et dicatur: ferie quarte exclusive, et addatur: feria · va · post festum trinitatis fiat de corpore Christi festum totum duplex cum octavis, quibus durantibus de quibuscumque aliis octavis preter diem octavam memoria tantum fiat. Si autem istud festum et nativitatis sancti Iohannis eadem die evenerit, in observancia eorum nos matrici ecclesie conformemus. Et hoc in ordinario in locis debitibus annotetur.

Et volumus et ordinamus, quod omnes et singule supradicte inchoaciones et approbaciones medio tempore inviolabiliter obseruentur.

### **Iste sunt ordinaciones et admoniciones.**

Ut excessus insolencium fratrum et eorum pena nullatenus occultentur, volumus et ordinamus, quod in singulis provinciis fiat unus liber per priorem provinciale, ubi excessus fratrum et eorum penitencie conscribantur et diligentissime conservetur. Quod si provinciale mori contigerit vel absolvi, volumus dictum librum in communis deposito sub certis sigillis conservari, quoisque prior provincialis sit in provincia confirmatus, qui solus predictum librum recipiat et utatur eo, prout sua discrecio iudicabit.

Item. Ad tollendam fratibus omnem materiam turbacionis et scandali et precipue periculum animarum, volumus et ordinamus, quod omnes fratres et singuli servent districtissime interdictum in terris subpositis interdicto. Quod si aliqui inventi fuerint contrarium facientes, per eorum provinciales omnibus graciis ordinis sine dilacione priventur, nisi tale fuerit interdictum, quod secundum consilia peritorum ad ipsius observanciam fratres nostri nullatenus tenerentur.

Item. Cum ex institutione vicariorum cum plenitudine potestatis in diversis provinciis turbaciones quamplurime sint exorte, volumus et ordinamus, quod nullus provincialis presens in eadem provincia vicarium talem instituat, qui priorem ac lectorem mutandi habeat potestatem, nisi esset ita publicum dampnum conventus et scandalum per aliquem predictorum commissum, propter quod ipse prior provincialis, si presens esset, ab eorum officiis absolveret supradictos; nec supradicti vicarii nisi ex evidenti causa fratres amoveant de conventu. Istorum autem vicariorum auctoritas non duret nisi per decem dies in quolibet conventu ab ingressu.

Item. Ne fratrum insolencium excessus remaneant seu transeant impuniti, volumus et ordinamus, quod nulli apostate per provinciales et eorum vicarios ad alium ordinem transeundi licencia concedatur, nisi ipse apostata primo recipiatur ad carcerem inibi per duos annos continuos macerandus. Quod si aliquis, provincialis vel eius

vicarius secus fecerit, per magistrum ordinis acrius puniatur. Intelligimus autem de illo apostata, qui ante recessum suum fuit habitus criminosus.

Item. Ut demus materiam fratribus bona procurata per ipsos pro communi utilitate servandi, volumus et ordinamus, quod priores conventuales vel eorum vicarii de vestibus ipsis fratribus studeant providere. Quod si aliqui priores inventi fuerint contrarium facientes, per eorum provinciales in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Volumus, quod ordinaciones facte in capitulo Florentino immediate transacto, quod nulli detur licencia eundi extra conventum, de impedientibus correctionem de se vel aliis faciendam vel factam, de non eundo ad magistrum ordinis sine licencia sui provincialis, nec ad provinciale sine licencia sui prioris, inviolabiliter observentur<sup>1</sup>.

Item. Ad reformandum iejunium sancte crucis usque ad festum pasce, quod in quibusdam partibus ordinis dicitur non servari, volumus et ordinamus, quod priores vel eorum vicarii absque rationabili et evidenti causa in dicto iejunio cum fratribus non dispensem. Quod si aliqui priores presentis ordinacionis fuerint transgressores, per priores provinciales, antequam legantur acta capituli provincialis, in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Ordinaciones in precedenti capitulo Florentino de non comedendo carnes, de studentibus mittendis ad studia generalia, de revocatione graciarum, de studentibus extraneis non exponendis ad confessionum audienciam secularium personarum, volumus inviolabiliter observari<sup>2</sup>.

Item. Cum quilibet frater iuxta graciam sibi a domino datam debeat pro ordine laborare, volumus et ordinamus, quod lectores, qui non exponuntur officio lectionum aut suas lectiones non continuant, sicut debent, aliis officiis ordinis et in questis per priores vel eorum vicarios occupentur.

Item. Ordinaciones precedenti anno in generali capitulo factas de lectoribus non confirmandis in priores, de inquisitoribus heretice pravitatis, quod non extorqueant pecuniam, et quod sorores nostri ordinis habeant missam cum nota, et de ingressu ad monasterium sororum, et de magistro studencium in studiis generalibus, volumus inviolabiliter observari<sup>3</sup>.

Item. Volumus et ordinamus, quod penitenciarii et socii prelatorum et principum, exceptis sociis cardinalium, fratres ordinis nostri dieta ordinis sint contenti, nec utantur carnibus ullo modo, nisi in casu, in quo per constituciones nostras usus carnium est concessus. Quod si aliqui predictorum inventi fuerint contrarium facientes, per eorum priores provinciales durissime puniantur.

Item. Volumus et ordinamus, quod in provinciis, in quibus predicatores generales adequant numerum conventuum potentes venire ad capitula, non fiant hoc anno predicatores generales.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne aliquis frater nostri ordinis, cuiuscumque condicioneis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere sine ipsis magistri licencia speciali. Et vult prefatus magister, quod omnes fratres ad sequens generale capitulum accedentes supradicto astringantur precepto, exceptis fratribus illis, quibus per Romanam curiam ad eundum ad dictum capitulum directus esset accessus. Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro necessariis negociis ordinis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Letania more solito dicatur.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et beato Dominico in quolibet conventu in aliqua vacante feria singulis septimanis dicatur, et de beato Petro martyre ad minus semel infra quindenam sollempniter celebretur.

### Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Romane provincie, Ungarie, Polonie.

Item. Absolvimus priores conventuales Basiliensem, Augustensem, Bernensem, Sleztatensem, Ratisponensem, Cremensem, Rotwilensem, Nove civitatis, Eystetensem, Gamundiensem, Banbergensem. Et volumus et ordinamus, quod predicti absoluti in eisdem conventibus et provinciis ad eadem officia isto anno nullatenus assumantur.

Numerus missarum pro vivis ascendit usque ad · lvi · missas.

Numerus missarum pro defunctis ascendit usque ad · xxii ·.

Item. Concedimus provincie Ungarie unum conventum in Sabes<sup>4</sup>.

Item. Provincie Tholosane duo monasteria sororum.

Item. Provincie Lombardie inferioris unum monasteriorum sororum.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Petrum de Palma de provincia Francie<sup>5</sup>.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, ut generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicium approbamus.

<sup>1</sup> Cf. supra pag. 129 l. 15 sqq.; 130 l. 29 sqq.

<sup>2</sup> Cf. supra pag. 132 l. 3 sqq.; ibid. l. 30 sqq.

<sup>3</sup> Cf. supra pag. 133 l. 31 sqq.

<sup>4</sup> “Sabes” forsitan “Soybiniensis”; cf. FERRARIUS De rebus Hungaricae provinciae Ord. Praed. Viennae Austriae MDCXXXVII, pag. 529.

<sup>5</sup> De fr. Petro de Palma cf. supra pag. 136 l. 15.

Sequens capitulum generale assignamus in Barchillona in provincia Aragonie; et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alias, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam · viam · pentecosten immediate precedentem.

Quicumque contrarium fecerit, ex vi presentis ordinacionis, sit per biennium omni voce privatus.

Volumus, quod diffinitores anni presentis et socii eorumdem in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipiantur et caritative tractentur et secundum facultatem conventum commodius procurentur.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXIV.